



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, 1680

48. An in aliquo casu absque incursione poenarum Bullæ Greg. XII. de
Datis, & Promissis possint in Curia Romana excusari dantes munera? Et an
iudex, qui in Romana Curia reciperet ab vtraque parte ante ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76372)

7. Vnde à fortiori dicendum est, quòd pro executione dictarum Indulgentiarum in hoc Regno ab Officialibus laicis, ne quid minimum accipi potest, etiam sub colore præstiti laboris, quod etiam absolute præcepit Serenissimus Rex Philippus II. in quadam epistola data Matriti die 28. Decembr. 1571. & directa ad excellentissimum Ducem de Terra-Nova, in qua ponit querelas sibi factas à Cardinali Alexandrino super aliquos abusus, qui tunc in hoc Regno extabant, & cap. 5. dictæ epistolæ sic Rex asserit: [Tambien nos han hecho entender, que quando se dan letras executorias, no se concede si no se paga primero cierta suma de dineros, y porque esto no parece cosa conveniente, proveyers que de aqui adelante no se lleuen dineros por esta causa, sino que se espida gratis. Et tunc omnes ex sacro Concilio subseripti ad dictam epistolam sic responderunt. Per lo passado s'hanno perçeputo per li Officiali Regij alcune raggione per consideratione delli loro travagli, però poi che sua Maestà comanda che questi negotij si spediscono gratis costi, si faci effeguire, ch'oltro che su Maestà lo comanda pare cosa da se molto conveniente.] Ita ibi, quod si in omnibus Papalibus rescriptis observandum est, maxime procedit in expeditione Indulgentiarum, quæ sunt res spirituales, & quæ annullantur à Pontifice, si pro publicatione ipsarum aliquid recipiatur.

DE DATIS, ET PROMISSIS Super Bullam Greg. XIII.

RESOL. XLVII.

An Bulla Greg. XIII. de Datis, & Promissis in Romana Curia sub nomine gratiarum includatur absolutio, indulgentia, dispensationes, beneficia, & alia gratia, quæ solo verbo perficiuntur? Ex p. 6. tr. 7. & Misc. 2. Ref. 14.

§. 1. Respondet affirmativè ex Navarro Bonacina tom. 3. de censur. diff. 2. q. 3. punct. 31. num. 2. Molin. de just. tom. 1. tract. 21. diff. 42. & Azorius p. 3. lib. 12. cap. 24. q. 6. ubi sic ait: Pontificia constitutio intelligit nomine gratia & iustitia, quicquid per litteras Apostolicas, Diplomata, five Bullas, & Brevia Pontificia gratiosè conceditur: quæ itidem per solam signaturam in solo verbo, vel vivæ vocis oraculo concedi solent; cuiusmodi sunt multe absolutiones, dispensationes, indulgentia, facultates & privilegia. nam in constitutione dicitur, Per litteras Apostolicas, & quibuscunque aliis modis. Ita ille.

2. Non desinam tamen hic adnotare Gabrielem Lotharium doctissimum Iuriconsultum Romani Curia de re beneficiaria lib. 3. quaest. 3. num. 26. & sequentibus docere sub nomine gratia in dicta Bulla Gregoriana non contineri gratias extra materias contentiosas, ut dispensationes, absolutiones, beneficia, pensiones & similia: & probat restrictionem illam ad causas appositam in Bulla, & sic ad materias contentiosas non diffundi per verba sequentia, seu alias per litteras Apostolicas, quasi causæ & iudicia, non etiam per litteras Apostolicas expediri consueverint, imò plurimæ sic deciduntur, & expediuntur: quæ omnia probat ipse Lotharius ubi supra. Cujus sententia si esset probabilis, multi in penas dictæ Constitutionis non incurrerent: recognosce illum, & non pigebit. Sed prima sententia Navarri est communis, quam approbat stylus Pœnitentiariæ, & Romanæ Curia, & ideo ab illa non est recedendum.

RESOL. XLVIII.

An in aliquo casu absque incurfione poenarum Bulla Greg. XIII. de Datis, & Promissis possint in Curia Romana excusari dantes munera?

Et an iudex, qui in Romana Curia recipiet ab utraque parte ante latam sententiam, vel ante gratiam obtentam majores, quas vocant propinas, seu sportulas, quam sibi essent debita, quamvis peccet contra iustitiam, & teneatur restituere, non tamen incurreret prædictas poenas, neque etiam qui eas propinas solvit?

Et notatur, quod hujus Bullæ poena non habent locum, si daretur aliquid simpliciter, nullo pacto precedente, & ad effectum specificè obtinendi aliquam gratiam, vel iustitiam, & aliqua alia circa hoc explanantur. Ex p. 7. tr. 4. Ref. 1.

§. 1. Materia hæc est satis periculosa, & faxit Deus, quod circa illam multi non naufragentur, ut patet ex Commentariis Navarri, Boccacii, Farinacii, Azorij, Bonacina, Molinæ, & aliorum editis in explicationem dictæ Bullæ. Non est tamen negandum posse, non obstante dicta Bulla aliquid munus præbere sine peccato, & incurfione poenarum, modo quo infra dicendum est, ex mente tamen aliquorum Doctorum. Asserunt igitur, Primo, quòd in quocumque tempore, five post, five ante, quando munera dantur non pro gratia, vel iustitia obtinenda, sed ob alium titulum, & finem Bulla Gregoriana non obligat. Nam leges non sunt extendendæ ultra propriam verborum significationem, & legislatorum voluntatem. Sed in casu nostro Pontifex non voluit subjacere poenis, nisi dantes pro gratia, & iustitia: Ergo non includuntur in dicta Bulla ex alio titulo dantes, nempe ob meram liberalitatem, & gratitudinem: Igitur primus titulus excusans ab incurfione poenarum dictæ Bullæ, est quando quis aliquid donat non pro gratia & iustitia obtinenda, sed ob liberalitatem, & gratitudinem.

2. Secundus titulus potest esse ratione laboris, & hoc procedit etiam si detur majus stipendium, quam sit debitum, modò id non referatur ad obtinendam gratiam, vel iustitiam; etiam si detur ante collatam gratiam, vel iustitiam: ac proinde in Romana Curia iudex, qui recipiet ab utraque parte ante latam sententiam, vel ante gratiam obtentam, majores, quas vocant, propinas, seu sportulas, quam sibi essent debita, peccaret quidem contra iustitiam, teneaturque restituere; non tamen incurreret prædictas poenas, neque etiam, qui eas propinas solvit, cum non pro gratia, & iustitia obtinenda, sed tanquam pretium excessivum data sint, & acceptæ.

3. Tercius titulus erit ratione damni compenlandi, ut qui dant, vel accipiunt ad compenlandum damnum, quod resultat intercedenti, modò excessus notabilis non sit. Hac ratione dicunt prædicti posse excusari cubicularios, secretarios, aliosque familiares Principum, qui non recipiunt aliquid ob gratiam, vel iustitiam à Principe impetrandam; sed ad compenlandum damnum inde illis resurgens. Sæpè enim ob gratiam semel impetratam non audent, vel certè, non ita facile frequenter, & confidenter aliquid aliud petere; imò exponunt se periculo non obtinendi alia, & quod habeantur nimis petaces, & importuni, minuatque gratia, qua apud Dominos valent. Imò etiam aliquid potest dari, & accipi pro majori exhibenda industria quam alioqui in negotiis exhibere teneantur prædicti cubicularij. Licet enim teneantur cubicularij, aut familiares Principum, vel iudicum mediocri diligencia

tia adiungit suppliciter permittit, vel supplices libellos, responditque referre, libellos decreto finitos reddere, & huius generis alia, ratione quorum nihil possunt accipere; quia gratis prestare tenentur, & stipendium aliunde accipiunt; si tamen maiorem prærent operam, quam ex officio teneantur, potest aliquid hoc titulo dari, & accipi. Id enim non accipiunt pro gratia, vel iustitia obtinenda: sed pro maiori illa opera, & industria à se exhibita, dummodo neque in hoc excedatur, imò etiam si excedatur peccabitur contra iustitiam: sed non contra Bullam, ut dicebamus cum Molina in simili de stipendio Iudicis & aliorum ministrorum. Et hæc omnia docet novissime dñs P. Ioan. Dicastillus de iust. & iure lib. 2. tr. 1. disp. 5. dub. 7. a n. 208. usque ad 222. cui adde Bonacinam 10. 3. disp. 2. 9. 3. punct. 31. n. 14. & P. Leonem de cens. recol. 4. littera verb. Dantes.

4. Nota etiam quod Io. Ant. Novarius in sum. Bull. p. 2. tit. de dato, & promiss. pro. iust. & c. num. 7. docet ut huius Bullæ pœnæ non habeant locum si daretur aliquid simpliciter nullo pacto præcedente, & ad effectum specificè obtinendi aliquam gratiam vel iustitiam: Ita ille, qui ait sic fuisse decisum in Rota decis. 136. post. conf. Farinacii tom. 1. & hæc omnia superius dicta videantur penes Doctores citatos: nam in hac questione de meo nihil asserere volo.

RESOL. XLIX.

An in dicta Bulla sint prohibita omnes promissiones maxime cum verbis generalibus? Ex p. 7. tract. 4. Ref. 2.

Quamvis non plenè sup. hoc, sed ad sciendam doctrin. huius ref. lege sup. si promissio talis sit, ut moveat ad iustitiam, vel gratiam conferendam, quia Pontifex in sua Bulla prohibet pacta, vel promissiones occultas, vel manifestas verbis generalibus vel expressis conceptas, tales sunt hæc, ergo prohibentur. Bonacina verò tom. 3. disp. 2. quest. 3. 24. 25. & 26. punct. 31. n. 10. distinguit, & ait: Vel verba solum profertur urbanitatis gratia, absque animo illius obligationis sibi imponendæ, vel proferuntur animo re ipsa promittendi, seu se obligandi. Si proferuntur solum urbanitatis gratia, censetur proferentem non incurere pœnas à præfatis à Pontificibus constitutas. Si verò proferantur animo promittendi, & hoc pacto insistendi iudicem, aut gratiæ collatorem, ad gratiam vel iustitiam concedendam, arbitror promittentem ligari his pœnis. Ratio est, tum quia prohibita sunt qualibet pacta, & promissiones etiam generales, & occultæ; tum quia administratoribus iustitiæ, & collatoribus huiusmodi gratiarum nihil simpliciter debetur ex gratitudine; cum aliunde habeant stipendium, & sustentationem, nihilque de suo conferant, & obligatio ex gratitudine potius oriatur ex eo, quod quis ex mera liberalitate confert, quam quod facit, id quod ex officio, & munere suo prestare debet, tum quia huiusmodi promissiones nihil aliud sunt, quam munera in se oblata; verum est autem aliquid tradere cum tacita promissione, pro gratia, vel iustitia obtinenda. Hinc patet.

2. Primò iudicem, aliumve gratiæ collatorem, qui intuitu huiusmodi promissionis aliquid facit, subiacere pœnis istius constitutionis: nam dicitur acceptare promissionem, vel donationem pro iustitia, vel gratia; & hoc præsertim valet in iudice, aut gratiæ collatore, qui novit promittentem consuevisse verba seu promissionem opere implere.

3. Secundò patet his constitutionibus prohiberi ea verba, quæ continent generalem promissionem: ut si quis dicat: Recognoscam labores tuos, vel non ero tibi ingratus vel honestum est, ut laborans pro alio recognoscatur. Hoc tamen intelligi, modò hæc verba non adhibeantur solum causa urbanitatis, aut modò non adsit intentio conferendi stipendium labori debitum. Ita Bonacina qui citat Farinacium & Boccacium.

4. Sed Dicastillus de iust. lib. 1. tract. 1. disp. 5. dub. 7. n. 189, docet esse nimis scrupulosum id quod asseritur à Bonacina, quòd illa verba generalia proferantur solum urbanitatis gratia, absque animo ullius obligationis. Nam si illud absque animo ullius obligationis, ita strictè accipitur, ut nullam cuiuscumque generis, vel minimam obligationem admittat, certè difficile apparet. Nam, cum illa verba sonent aliquid in futurum ortum ex animi gratitudine (de qua postea dicemus) non est vera & propria significatio animi grati ille loquendi modus inutilis, & vanus, qui adhiberi solet à plerisque. Illud enim genus gratitudinis, ab æquis rerum, prudentibusque æstimatoribus nihil sit, cum meræ nugæ fiat, aut inania verba: ergo si qua actio rationalis, & virtus gratitudinis exerceri debet in eo casu, debet esse verba, quæ vera sint, & significant verum animum gratum, qualis non aliter significatur, quam verbis ex animo dictis. Vnde, si ea exprimat quis in ea occasione, qua debet habere animum gratum; aliquam habet obligationem dicendi ea verba; non tantum vana, & nugatoria: sed in uno aliquo sensu nempe cum animo faciendi ea vera, licet non habeat animum obligandi lex ex virtute Iustitiæ. Vnde erit obligatio, quasi fidelitatis, vel certè illa obligatio decentiæ, quæ resultat ex eo, quod quis alteri significaverit animum gratum, & aliqualem voluntatem ostendendi operibus ipsis gratitudinem. Cum autem sit ali-quale debitum, id, quod ex gratitudine debitum est, non est credibile voluisse Papam prohibere illam animi ostensionem, etiam si inde affligeret aliqua spes ei, ad quem ea verba dirigitur, & sub ea spe fortasse moveatur, aut impellatur ad gratiam, vel iustitiam, aut absolute conferendam, aut facilius saltem & alacrius. Neque obstat, quòd prohibita sint pacta, & promissiones, etiam generales & occultæ. Nam hæc quæ non sunt propriæ, & strictæ promissiones, & aliis ex gratitudine quodammodo debita; aut de materia, quæ quodammodo erit debita ex gratitudine (ut paulò post ostendamus) non debent intelligi prohibita.

5. Porro esse posse in his rebus materiam gratitudinis, neque esse verum, nihil ex gratitudine aliquo modo deberi collatoribus gratiæ, & iustitiæ; quin potius sæpè dignos esse, ut erga illos ea virtus exerceatur, probari facile potest.

6. Atque in primis in Collatoribus gratiarum aptè-tissime probatur. Licet enim si habeant jam suum stipendium assignatum pro munere suo exercendo, ita, ut sæpè teneantur eam gratiam ex officio conferre, & licet nihil de suo conferant, id est, de bonis suis, quibus priventur, ut alteri dent; negari tamen non potest, quòd sæpè gratiam aut beneficium, quod libere uni aut alteri poterat conferri, conferre huic potius quam illi, sit beneficium comparatione ejus, cui confertur, quem potuisset conferens prætermittere, & alteri conferre. Ergo par est in eo casu gratias ei agere. Ergo non deest ibi materia gratitudinis. In aliis vero, quæ ad Iustitiam pertinent, quamvis non distineat minus posse inveniri materiam actionis gratiarum, solum tamen vel in modo, vel in alacritate, aut celebritate pe tamen vel in signa voluntatis, & animi ex parte solent apparere signa voluntatis, & animi ex parte conferentis, quæ aliqualem præbent materiam ostendendi gratitudinem, quamvis res collata non sit propriè materia gratitudinis. Imò vel aliqualis similitudo, aut